

AD AMPLISSIMUM

AC PRUDENTISSIMUM SENATUM

*Urbis Noricae, Carmen nuncupatorium Ioa-
chimi Helli Leucopetrei.*



Oridos Hercinia magni sacer ordo Senatus,
Qui regis imperio, & moderatis legibus istam,
Quam flauo mediam Pegnesus diuidit amni,
Vicinisq; aliae numerosae in saltibus Urbem,
Agnoscent dominam, & sancti pia iura Senatus,
Sponte colunt, Meccenatum ueneranda meorum
Lumina, praecclaris proceres natalibus orti
Saluete, & nostris placidas adiungite uotis

Mentes, ac mites coepto aspirate labori,
Septies emensis Titan sua lumina signis,
Septenasq; hyemes, totidem cum messibus aestus
Reddidit, ut primum me Norica rura benigno
Hospitio excepere, locumq; dedere Camoenis
Haud inimica meis. Vbi non ingrata magistris
Prima suis cecinit mea Pieris, altera magnis
Principibus placuisse fuit non improba cura,
Quos inter claros Heroes nostra reponant
Secula, uirtutum decora immortalia. Iustus
Ad uos ordo Patres me nunc deducit, & oro,
Qua praecceptores mea carmina mente probarunt,
Et qua principibus placuerunt fronte benignis,
Talibus excipite haec animis iuuenilia scripta,
Quae rectis studijs, & uestro dantur honori,
Non hoc ambitio, non assentatio suasit,
Sed doctis celebrata uiris, atq; artibus almis
Numina uestrae Urbis dexterrima, nomen auitum
Laudatae toties uirtutis, & integritatis,
Quod bona & utilibus studijs propensa uoluntas,
Cum meritis peperit magnis tibi, clare Senatus.
Ista uiri docti sensere, & carmine grato
Venturis memores mandarunt in chytia seclis,
Quae benefacta bonis studijs Respublica uestra
Contulit, ingenijs clara excellentibus. Atq; haec
Laus non postremas est inter habenda: Sed ipsi
Hoc commune Magistratus sibi cum Ioue summo

Caelo